

CLARISSIMO ARTIVM MAGISTRO DISSERTA-  
TIONIS AVCTORI DOCTISSIMO

SAL. PLVR. DIC.

SIG. IAC. BAYMGARTEN.

**Q**uae ad TE disputaturum publice a me scribi mea TV Aque referre putavi, tria fere sunt, atque et ad consilium TVVM, et argumentum, et operam meam pertinent. Consilium, quod cepisti, vehementer etiam atque etiam probo et eo magis laudo, quo rarior illa cogitatio his temporibus cuiquam in mentem venire solet, ut stadium litterarum academicarum emensus, summos honores philosophicos consecutus, aliorum institutione exercitatus ad specimen academicum sanctioris doctrinae edendum animum appellat. Adeo nunc inualuit apud plerosque et studiorum praecipitatio morarum maturitatisque impatientissima, et dissociatio philosophiae a theologia neutri honorifica, ut paucissimi illius operes et praesidia ad huius culturam referant, pauciores vero postquam illam docere coeperunt in hac tractanda operae pretium fieri existiment, quod olim frequentissimum fuisse neque male cessisse philosophiae doctoribus academiarum annales testatissimum faciunt. Quare hunc morem antiquum vere TIBI gratulor, atque ut laudabilis illius propositi nunquam TE poeniteat non precor magis quam auguror et provideo. Rectius certe otium Halense, post secessum Viadrinum et labores Ienenses, collocare non potuisses, quam explicando in luce academica doctrinam sanctiorem, qua aliquot annorum industria TE locupletasti. Argumentum disputabis graue omnino, quod multorum iam exercuit soletiam, et in quo dogmaticae, moralis, et exegeticae eruditionis, atque adeo et philologiae sanctioris et philosophiae solidioris profectus una opera demonstrari possunt, quos le Toribus harum litterarum gnaris, ut spero, approbabis. Elaborationis nihil plane mihi vindico, ipsius consilii initi ante ignarus, quam scriptum mihi exhiberes plene confectum, meumque in eius ventilatione publica praesidium exigeres. Cui voluntatis in me TVAE significationi non defuturus elaborationem accurate perlegi, TIBIque intactam reddidi sine lituris aut accessionibus, et quod illis carere posse facile mihi persuasi, et ut integrum certiusque permetteretur studiorum arbitris de doctrina tua iudicium, et quod denique non per omnia TEcum sentio. Ipse enim optime intelligis, non unam esse omnium doctorum nostratium in hac doctrina sententiam, sed hanc veniam posci darique mutuam, ut non solum in interpretandis oraculis diuinis, quae ad eius fidem faciendam excitantur,

tur,